ni fallor 1609.



177

# Do Wezyra

Illustrissime Princeps Amice noster charissime. Gratulamur tam insigne et Imperio Ottomanico gloriosam Victoriam, quam Serenissimus ac Potentissimus Turcarum Imperator amicus verò noster de Persis hostibus suis reportavit, quod à nobis amicitiæ jus et vinculum requirit, lætamur cum isto, tum quibusvis aliis Serenissimi Imperatoris Successibus, quem nostrum affectum prolixius Legatus noster, quem Constantinopolim propediem missuri sumus contestabit. Una verò opera ad Illustritatem Vestram deferimus, quod sub istam Serenissimi Imperatoris absentiam Tartari postpositis edictis illius confinia Ditionum Nostrarum aliquoties hostiliter infestarint, licet Divina ope et forti militum Nostrorũ ac Præfectorum manu sint pactorum violatores repressi et cæsi, de quo Illustritatem Vestram, tanquam primariũ fœderis et Pactorum Custodem ac Conservationem noluimus celare. De Cætero Illustritati Vestræ Nostram benevolentiam et amicitiam Offerimus et omnem fœlicitatem precamur. Dattum Varsaviæ etc.

Ad Mandatum Sacræ
Regiæ Majestatis propriũ.